Nullus morbus est secundum naturam.

CErnis vt æterno florerent omnia vere,
Si gravis à tergo, non sequeretur hyems?
Sic nisi vis morbi violenta lacesseret omnes,
In longum placidè, vita trahenda foret.
Namq; sui semper similis Natura sub vnâ
Servatrice sui, conditione manet. (ba, luxus,
Adversum est quodcunq; nocet: Venus impro-
Vinum, intemperies, & nimis atque parum.
Hæc pariunt tetros vastantes corpora morbos,
Accelerantq; pedes (tarda senecta) tuos.
Deinde vbi Naturam morbus vitiaverit, intrà
Sese abdens, transit corporis omnis honos.
Ingreditur macies, vultu color excidit, aret
Succus, abit sanguis, membra vigore carent.
Hosce quis affectus adversos nesciat esse
Naturæ, inq; hominis tendere velle necem?
Ergò hæc si fuerint symptomata nulla secundum
Naturam, hæc causans tum neq; morbus erit.

Omnis sensus est per nervos.

IN cerebro, velut in solio Regina, locatur
Vitæ anima, in corpus regia iura tenens.
Et velut in lato Princeps moderamine regni,
Servorum alternis utitur officijs:
Sic ea prima suos per sensus exerit actus,
Hi sua per nervos munia obire solent.
Hisce iterùm, vt paret validis equus acer habenis,
Musculus obsequitur grandis, & inde mouet.
Sic est à nervis motus, sic sensus ab illis
Coniugio nexis corpus in omne meat.
Opticus est vnus, primusq;, & ἀκύστικος alter,
Ille videnda capit, percipit iste sonos.
Insuper à cerebro manat nervosa propago
In linguam & nares, hinc odor, inde sapor.
Hàc illàc, tactus, vario se tramite spargit,
Nervum habet & tactum pars quotacūq; suū.
Ergò omnis sensus per nervos fit, quibus audit,
Aspicit, attrectat, gustat, odorat homo.